

esse non in ipso oppidi situ. Illud autem ignoramus, quando primum stativa collocaverit legio secunda, cum etiam in partibus septentrionalibus diutius morata et ad Hadriani potissimum vallum construendum adhibita sit, ut infra videbimus; Dio certe de suo ipsius tantum tempore loquitur, cum dicat (4, 23) *νῦν μὲν γὰρ ἐνεκαίδεκα (στρατόπεδα) ἔξ αὐτῶν* (scilicet ex legionibus viginti tribus Augustis) *μόνα διαμένει, τό τε δεύτερον τὸ Ἀγγούστειον τὸ ἐν Βρεττανίᾳ τῇ ἄνω χεϊμάζον* e. q. s.; ubi significatur Isca sine dubio, ut dixi in praefatione. De situ autem Iscae dubitari omnino non sinunt cum nomen hodiernum *Caerleon*, quod est castris legionis, tum tituli ibi inventi; Iscae autem nomen, etiam olim fortasse tam fluvii quam oppidi, in fluminis *Usk* hodierna appellatione adhuc viget (cf. T. Wakeman *Archaeol. Camb.* 3, 1848 p. 228 ss.). Tituli omnes fere ad legionem secundam pertinent; praeterquam enim quod centurias cohortis VII (ubi nomen legionis non additur, utpote de qua non esse possit dubitatio) a solo restitutas videmus sub Valeriano et Gallieno auctoritate summorum magistratum legati provinciae, legati legionis, praefecti legionis (n. 107), tegulae potissimum legionis quinque ad minimum formis diversis inscriptae ibi inventae stativa eius certissime demonstrant. Praeterea tituli referunt Genium legionis (n. 103), legatos tam provinciae quam legionis (n. 95. 98. 107) cum legato aliquo provinciae Ciliciae (n. 108), praefectos castrorum sive legionis (n. 96. 100. 101. 107), de quibus nuper Mommsenus dixit (*archäol. Zeitung* 1869 p. 124 ss.), centuriones (n. 99), signiferos (n. 119. 125), actarium (n. 127), tesserarium (n. 117), equites (n. 118), milites (n. 121), veteranos (n. 120. 122. 123) in collegio constitutos cum honoratis suis (n. 105). Etiam *expeditio illa Germanica* memorata in titulo uno hominum privatorum (n. 150) sine dubio militaris fuit legionis secundae. Ipsas autem legionis eius cohortes et centurias castra munivisse tituli docent breves numeros tantum cohortium cum nomine centuriae aut illos solos referentes, quos hic primum deprehendimus (n. 109—116) posteaque per Britanniam ubique reperimus, ubi per milites castra vel alia munimenta extracta sunt. Qui tituli breves cuius aetatis sint cum ipsi non indicent difficile est diiudicatu; secundum litterarum formas possunt facile adscribi saeculo tertio, ut saeculi eius sunt omnes qui anni notas habent huius capituli tituli (n. 95. 103. 104) neque dedicationes imperatoribus factae vel opera ab iis dedicata extant nisi Pii (n. 105), Severi et filiorum (n. 101. 106), Valeriani et Gallieni (n. 107). Iuliae gentis in titulis sepulcralibus frequentia (n. 97. 114. 120—124. 130—133) referenda fortasse est ad eas regiones, ubi delectus legionis institui solebat, Galliam nisi fallor Lugdunensem; Iulii sane (et Valerii, cf. n. 125) frequentes sunt in ipso Lugduno. Praeter tegulas legionarias etiam alius generis tegulae aliquot atque varii generis instrumentum Iscae repertum est; quae omnia infra dabimus suis locis.

Ex Iscae reliquiis a Giraldo Cambrensi describendo in maius auctis atque a Lelando iam (itin. 5 f. 6) Camdenoque observatis (cf. Horsley p. 327; Goughs *Camden* 3 p. 108. 117) Franciscus Godwin episcopus Landavensis primus titulos protulit inscriptos sex (n. 118. 124. 129. 132. 137. 140), qui primum prodierunt in Camdeni editione sexta a. 1607 (p. 490 *‘inscriptiones . . . hic nuper effossas rev. pater Franciscus Godwinus episcopus Landavensis . . . mihi impertivit’*; schedas eius Camdeno Cotto-

nive missas repperi in codice musei Britannici (Cotton Iulius F VI f. 281 ss.) Accesserunt per Eduardum LHWYD in Gibsonis Camdeno duo (n. 98. 121) et apud HORSLEIUM duo item (n. 121. 125), quorum alter antea publici iuris erat factus in transactionibus philosophicis (n. 149). Tres alios addidit W. COXE (*an historical tour in Monmouthshire, illustrated with views by Sir R. Colt Hoare Bart.*, cet. Lond. 1801 2 voll. 4.) — nam qui ante eum *Monmouthshire* comitatus historiam conscripsit David Williams (*the history of Monmouthshire*. Lond. 1796 4.) titulos non protulit; eorum vero quos Coxe habet unus nuper demum denuo prodit (n. 128), reliqui duo perierunt. Singuli deinde tituli reperti et editi sunt a variis (n. 118. 123. 124. 126. 127. 133); sed anno demum 1845 et sequentibus Eduardus LEE operam utilissimam navare coepit reliquiis Legionensibus easque delineavit et descripsit accurate in scriptis suis variis (*description of a Roman building cet. at Caerleon* Lond. 1845 4.; *delineations of Roman antiquities found at Caerleon* Lond. 1850 4. cf. *archaeol. journ.* 2, 1846 p. 417, *assoc. journ.* 7, 1852 p. 62 ss., C. F. Hermann nunt. Gotting. a. 1846 p. 1421 s.; deinde *Isca Silurum, or an illustrated catalogue of the museum of antiquities at Caerleon* Lond. 1862 fol. cf. *gent. mag.* 19, 1866 p. 471 ss.; *Supplement to Isca Silurum*. Newport 1868 fol.). Instituta est eius potissimum et aliorum, ut Octavii Morgan, qui pro comitatu *Monmouth* in parlamento Britannico sedem habet, societas archaeologica (*the Monmouthshire and Caerleon antiquarian association*, cuius scriptorum fasciculus unus tantum prodit Romani nihil continens) et museum, ubi quaecunque Iscae prodierunt antiquitatis reliquiae servatae et dispositae sunt commode atque eleganter (cf. *assoc. journ.* 18, 1863 p. 260 ss.). Hoc ego praeclara Eduardi LEE amici hospitalitate usus excussi totum a. 1867; quae postea accesserunt non multa accepi submissa ab eodem.

Non procul ab Isca versus orientem castris Romani reliquiae sitae sunt a Lelando (itin. 5 f. 5) item iam observatae, quibus nomen est *Caer Gwent* vel *Caerwent* (cf. Goughs *Camden* 3 p. 106. 113). Reperta sunt ibi annis a. 1689. 1693. 1777 pavimenta tessellata aliaque vitae Romanae indicia non dubia (cf. Ch. Heath *descriptive accounts of Persfield and Chepstow, including Caerwent and the Passages* cet. *Monmouth* 1793 8.); nuper autem etiam effossiones ibi institutae sunt per Octavium Morgan eum, quem supra dixi, potissimum (cf. *Archaeologia* 36, 1855 p. 418 ss. et *Lee Isca* p. 94 ss.), quae muros, villae Romanae atque thermarum parietinas, item varia suppellectilis Romanae fragmenta protulerunt (cf. C. R. Smith *assoc. journ.* 4, 1849 p. 246 ss. et 13, 1857 p. 77 ss., *collect. ant.* 4, 1857 p. 212; G. Ormerod *a memoir on British and Roman remains illustrative of communications with Venta Silurum, ancient passages of the Bristol channel and Antoninus iter XIV* cet. Lond. 1852 4; cf. *archaeol. institute, Bristol meeting* 1851 p. 40 ss.), neque vero titulos inscriptos ullos, exceptis tegulis aliquot non legionariis, quae signo quodam potius quam littera erant insignitae. Tamen si nomen respicitur et situs, dubitari nequit quin *Venta Silurum* ibi fuerit olim collocata (itin. *Anton.* p. 485, 9; *Ravennas* 5, 31 p. 426, 18; Ptolemaeus enim hic quoque 2, 3, 21 errore *Ventam* aliquam tribuit *Simenis*, i. e. *Icenis*, supra p. 35).

95 *Caerleon*, rep. a. 1603, tabella ansata lapidea longa dig. 26, alta 16; servata deinde in *Mathern* apud Franciscum Godwin episcopum Landavensem (cf. n. 101), et postea in *St. Pierre* apud col. *Lewis*, postremo restituta museo Legionensi, ubi extat. Litterae sunt elegantes saeculi tertii, prorsus ut in n. 101.

T · FL · POSTVMIVS
VARVS · V · C · LEG
TEMP · DIANAE ·
RESTITVIT

Contuli et ectypum reportavi. *Camden* ed. VI (1607) p. 490 (inde *Burton* itin. *Anton.* p. 249; *Horsley* p. 321; *Coxe Monmouthshire* 1 p. 12; *Goughs Camden* 3 p. 108. 118; ex *Horsleio* puto *Donat.* p. 68, 7 *‘ex schedis Petri Gnocchi’*) a Francisco Godwin, cuius exemplum fortasse autographum casu servatum esse in tegumento cod. mus. *Brit. bibl. Reg.* 1 C. I observavit *Guil. Wright*; *A. I. K. gent. mag.* 3, 1835 p. 601; *Lee Isca* p. 10 tab. 3 fig. 4 (inde *gent. mag.* 19, 1866 p. 474).

Postumius Varus praefectus urbi a. 271 secundum chronographum qui dicitur a. 354 (p. 627 *Momms.*; cf. *Fea giorn. arcad.* 44, 1829 p. 337 et *Henzen ann. dell' inst.* 16, 1845 p. 53 s.) potest ab hoc legato aut provinciae aut legionis II non diversus esse, scilicet postmodo ad praefecturae dignitatem promotus.